

tare. Atqui si eo tempore fuisset locus dubius, suspectus & controversus, non potuisset illi tantum robur ac pondus tribui. Erasmus quidem in resp. ad notationes Lei tom. 9. p. 231. suspicatur pro *infidelibus* apud Hieron. legendum esse, a *fidelibus translatoribus* hunc locum omissum. Sed hoc est ex nigro album facere. Clamat totus contextus Hieronymum infidelitatem eorum Interpretum accusare, qui classicum hunc locum omiserint.

*Ejus au-
toritatem
Canoni-
cam i. Ne-
gant Ana-
baptiste &
Photinia-
ni.*

10. De hoc igitur loco disquisitionem instituemus duabus partibus inclusam. Prior *Canonicam hujus dicti autoritatem* vindicabit. Posterior *Trinitatis mysterium* ex eo demonstrabit. Utraque opposita erit Photinianis utrumque membrum negantibus. Quod enim prius attinet, constat, *Anabaptistas & eorum vestigiis insistentes Photinianos* Canonicam hujus dicti autoritatem prorsus negare. De Anabaptistis Sixt. Senensis lib. 7. Biblioth. sanct. pag. 611. scribit, quod dicant *sententiam illam a fautoribus Trinitatis textui insertam reclamantibus omnibus Grecis exemplaribus*. Georg. Blandrata in disput. Albana act. diei 2. E. 1. *Nemo est qui non videat locum hunc suspectissimum esse, cum a plurimis Doctoribus ac Interpretibus fere omnibus sit pretermissus*. Franc. David, contra D. Georg. Majorem N. 2. non veretur scribere, *esse commentum Hieronymi, aut ab Albanasio ad oppugnandum Arium suppositum* Joh. Sommerus contra Petrum Carolinum l. 2. cap. 10. f. 155. *Quomodo irrepserint illa verba de tribus testibus viderit Carolius, nobis nihil obsunt, etiamsi retineamus*. Socinus in comm. 1. Epist. 5. pag. 416. *esse hac verba adulterina & ab hominibus, qui suum dogma de trino & uno Dio quacunque ratione defendere ac propagare voluerunt, in hunc locum infarctas*. Idem contra Bell. & Wickum c. 5. class. 1. arg. 11. *Hactenus ita locutus sum quasi nullam controversiam patiarur locus iste qui tamen adeo est controversus, ut potius tuto affirmari possit, verba illa addita olim fuisse*. Et postea. *Cum locus plane controversus sit, nihil ex eo colligi potest ad quicquam concludendum*. Idem in animadv. ad assert. Posnan. pag. 127. *Verba ista de testimonio Pa-*
tris